



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Statvs Et Beneficia Fundatoris Monasterij in Polling.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

gen, Berchtoldus Com. de Andechs, Henricus Com. de Wolfrateshusen, Albertus Comes Tyrolen. Gotfridus Comes & Reinbertus de Rumesberch, Eginus Comes de Nifen.

HEINRICVS Dux Bauariæ & Saxoniz iudicio adiudicauit Riet, lis erat inter Polling, & Henricum de Hocheuuan, Iudex cum Duce Berchtoldus, Com. de Andechs. Testes, Fridericus & Otto Palat. de Witelinespach, Henricus Præfectus de Regenspurg, Henricus de Stoufen, Dietricus eo tempore Præpositus Ducis, H. de Cohnunoshusen. Post hæc accepit de manu fratrum ad seruitium trium denariorum vsq; ad obitum Gisalæ Ministerialis Brixinen. Ecclesiæ. Gesta sunt hæc anno Christi 1162. quo destructum est Mediolanum & celebratum Concilium in decollatione S. Ioannis Baptistæ in Episcopatu Bisunti super fluum Saona, cui interfuit Fridericus Imperator, Ludouicus Rex Franciæ, Henricus Dux Saxoniz & Bauaria.

FACTVM iudicium in castro Landespurch, coram Principibus supra nominatis, cum quibus ipse Dux Concilio Vefontionensi seu Bisunti interfuit, &c.

FRATER Albertus, Eps quondam Ratisbonen. Apostolicæ sedis auctoritate Crucis prædicator per Alemaniam & Bohemiam, pro subsidio terræ sanctæ, vniuersis Christi fidelibus in Domino salutem, 40. dies indulgentiarum donat Pollingensi Templo, in festo exaltationis S. Crucis & innocentum, atq; dedicatione. Datum Pollingen, anno Christi 1263. tertio Non. Maij. Extat ibidem priuilegium: In quo Elisabetha, Dei gratia, Regina & Comitissa Goricen. atq; Tyrolensis, Monasterium illud Portorij, Passeri, Stiracij, Oenobrige, hoc est, Passier, Stertzing, Inspruck, immunes esse iubet, Anno 1263. 4. Calen. Octobris. Fuit hæc Elisabetha filia Ottonis, Ducis Bauariæ, Soror Ludouici & Henrici, &c. vxor quondam Conradi Regis Rom. filij Frider. II. postea verò Menardi Comitis Goricen. atque Tyrolen. quæ nihilominus priori Regiæ titulo vsa est.

Auth. V. h.
7 fol. 700.

Auth. V. h.
fol. 701.

S T A T V S

ET

Beneficia Fundatoris Monasterij in Polling.

Nouerint certo testimonio scripturarum Christi Fideles vniuersi *Tessilonem* huius Ecclesiæ clementissimi *Saluatoris* in *Polling* ordinis sancti *Augustini* fundatorem. Hunc *Tessilonem* primo fuisse Ducem *Bauariæ*, postea * Regem *Lombardiæ*, postremoque Monasterium in *Lavvissa* ordinis sancti *Benedicti* videlicet conuersum, iam verò prælibatum *Tessilonem* vt diximus, primo fuisse Ducem *Bauariæ* ex nobili prosapia oriundum, videlicet filium sororis *Caruli Magni* quondam Imperatoris didicimus, qui Domino fideliter deseruiens in Cœnobis construendis vt pote primo in *Polling* Ecclesia sancti *Saluatoris*, ordinis S. *Augustini*, & in aliis pluribus cœnobis, scilicet in *Weslesbrunnen* ordinis S. *Benedicti*, in *Chim* Ecclesia ord. S. *Benedicti*, in cuius Ecclesia Dei virginum habitatio, defensoremque viduarum & orphanorum, iudicē strenuū, in elemosynis largū. Hic verò deuictus precibus iam dicti *Caruli* Imp. auunculi sui ad debellandum *Lombardiæ* proficiscens cunctisq; inibi prosperè succedentibus genti iam supernominatæ ab Imperatore in Regem præficatur. Qui etiā heu postmodum consilio incolarum illius terræ deprauatus auunculo suo *Carulo* Imp. se opposuit, à quo non post multum temporis elapsū in prælio publicè cum suis deuincitur, vineulis mactatur, & per duarum peluuium ignitarum inspectionem excecatur. Qui poenitentia ductus ad petitionem Principum absoluitur, & liberè quocumque discurrere vellet ire permittitur, iam vero bonæ memoriæ dictus *Tessilo* ob

k 4

spem

spem futurorum prospera cuncta mundi despiciens *Laurissam* deuenit, ibique sub specie pauperis habituque religioso & ab omnibus ignotus vsque ad extremum vitæ suæ terminum permanfit. Post multorum vero annorum curricula iam sæpe supradictus *Carulus* Imperator auunculus eiusdē *Tesilonis* ad Ecclesiā *Laurisensem* peruenit, ibique vna noctium more solito orationi vacans *Tesilonem* lumine carentem per manus angeli de ara ad aram cum summa reuerentia deduci. Imperator summo diluculo surgens patrem Ecclesiæ aduocat, diligenterque sciscitatur, quisnam sit cui tanta beneficia ab angelo impensa fuissent, qui se ignorare respondit. Sequenti nocte Abbas vna cum Rege beneficia iam prælibato *Tesiloni* ab Angelo impensa providere promeruit. Cum vero Dominus creator, reformator, & remunerator omnium hunc famulum suum post longam carnis macerationem, voluntariam paupertatem, nec non laudabilem vitam de hoc sæculo eripere decreuisset, febre corripitur, & à viris religiosis corpore & sanguine Domini nostri *Iesv* Christi procuratur, sanctoque oleo inunctus contestatus vitæ suæ originem illis innotescere, qui grauiter suspirans singula per ordinem eisdem enarrauit. Hic verò svveticis ordinationibus insistendo feliciter migravit ad Dominum, ad cuius tumbam Dominus per merita famuli sui, cunctis eius auxilium implorantibus quam plurima beneficia vsque in præsens impertiri non dedignatur. Horum beneficiorum testimonia perhibent in *Laurissa* adhuc præuientes.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Henricus* diuina clementia *Bauarix* atque *Saxonum* Dux. Quotiescunque super ecclesiasticis negotiis religiosorum petitiones admittimus, à Christo cuius ministri sunt deuotionem nostrā remunerari non dubitamus. Quapropter notum esse volumus, tam præsentis quam futuri temporis Christi fidelibus, quod nos ad petitionem Præpositi & fratrum *Pollingensis* Ecclesiæ aduocati eiusdem loci à Domino nostro *Hartmanno* venerabili sanctæ *Brixinensis* Ecclesiæ Episcopo feudali iure recepimus, eo nimirum tenore, vt nunquam à manu nostra vel hæredum nostrorum ad subaduocatos vel vicarios beneficii iure descendat, sed personaliter ditioni ac protectioni nostræ pertineat, & si forte in aliquo casu hoc per nos vel per legitimos successores nostros immutari contigerit, prædicti fratres reclamandi & alium sibi aduocatum eligendi liberam habeant facultatem, factumque existimatione careat. Præterea decernimus nullam exactionem vel paratam à nobis vel à Vicario nostro seu hæredum nostrorum inibi fieri, nisi iuxta antiqua iura & Constitutiones Imperatorum vel Regum. Emolumentum enim nostrum vita æterna. Vt ergo huius deliberationis vel constitutionis nostræ solemnitas rata permaneat, chartam hanc conscribi & sigillo uostro insigniri iussimus. Testes verò qui huic actioni intererant hi sunt. *Fridericus* Palatinus Comes. *Marchio Bertoldus*, *Adelgor Augustensis* aduocatus, *Eberhardus de Vrichentborp*, *Henricus de Wida*.

Acta sunt hæc anno dominicę incarnationis Millesimo Centesimo LX. Indictione VII.

Anno Imperij Dñi *Friderici* inuictissimi Rom. Imperatoris VI.

FRater *Albertus* Episcopus quondam *Ratisponensis* Apostolicę sedis auctoritate crucis prædicator per *Alemanniam* & *Boemiam* pro subsidio terrę sanctę vniuersis Christi fidelibus in Domino salutem. Sanctorum meritis inclita gaudia Christi fideles assequi minimè dubitamus, qui eorum patrociniā per condignę deuotionis obsequia promerentur, illumque venerantur in ipsis, quorum ipse